

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LXXXIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

**S** Vidi quatuor virulenta scripta Heidelbergensium nebulonum, quæ illustrissimus Princeps meus ante octiduum ad me misit. Et existimo, te ad majora certamina his initiatum esse. Legam autem diligenter, & meum de his iudicium non celabo. Quantum videre licet, unâ opellâ expedit omnes, eaque brevissima. Calumniarum, mendaciorum, Sophisticationum sunt pandora. Quo magis spero, vel tandem etiam apud suos fore exosos. Cæterum hunc adolescentem T. H. commendo, qui ad me à Wolfgango Comite à Leonstein venit commendatus, quem libenter iuvissem, sed illi neque in Monasticis Scholis repletis, neque apud nos locus esse potuit. Subiret omnia officia, modo in extrema parte studiorum harere posset. Parens ipsius minister Ecclesiæ fuit in hoc Ducatu, & vitæ suæ habet puer à Comite præclarum testimonium. Sed pluribus non iudico opus esse, cum tua pietas & erga pauperes studiosos humanitas ab omnibus celebreretur. Reverendos & Clarissimos Viros, D. Sturmium & collegas tuos omnes meo nomine quæso reverenter salutabis. Bene & feliciter vale. Raptim Tubinga. 26. Septembris, Anno 65.

*Tuus ex animo*

Jacobus Andrea,  
ut semper.

XC.

**S** Per occupationes varias hætenus mihi non licuit perlegere Heidelbergensium scripta, contra te edita, nisi solius Erasti, qui est reliquorum oraculum. Sed hui, quam contumeliosus est hic bonitatis & mansuetudinis Müntzerianæ spiritus? Reliqui ut opinor non meliora afferunt, ut expeditum sit responsum. D. Hartmannus Bayer ex Francofurto ad me scripsit, Electorem Palatinum Ministros Francofurdianæ Ecclesiæ quoque ad Disputationem provocasse, fortasse universum Christianum orbem constituerunt suis Disputationibus replere. Sed ut opinor, Comitibus his malis aliquod remedium invenient. Dicebant quidam: Es möcht einen wol geh. ic. Das Huren nicht Huren wöllen seyn / Idem nos, das Zwingliani nicht Zwingliani wöllen seyn / das möcht einen verdriessen. Sic solet tergiversari Spiritus mendacii, donec invenerit campum, in quo se aperire potest. Pro officio humanitatis huic adolescenti impenso, ago maximas gratias, & ut eum porrò quoque commen-